



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 2. De purgatorio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](#)

**November.** Cūm beatus esse non possis, nisi sanctus sis; nisi sanctus esse, nisi tibi vim inferas, implora Sanctorum auxilium, & ad eorum protectionem confuge.

Regnum Caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. 12.

Promittit mundus temporalia, & parva; & servitur ei aviditate magna: ego promitto summa, & æterna; & torpescunt mortalium corda. Imit. Christi. l. 3. c. 3.

## DIES II.

## De Purgatorio.

## I.

**S**tatus, in quo animæ Purgatorij detinentur, jure nostram exigit commiserationem. Hæ sunt animæ, quæ multa perpetiuntur, quæ torquentur igne, ab ira Dei succenso; cuius tormenta superant, quidquid non modò tolerari, sed queis nec crudelius aliquid in hac vita concipi potest. Purgatorij pœnis comparari nihil potest, nisi pœna inferni: atque istæ, dempta diuturnitate & desperatione, majores illis non sunt. Extraneus aliquis, imò & inimicus ad commiserationem te moveret; si eum in hoc statu videres: verum amicus

tuus

tuus, frater tuus, mater tua, pater tuus November,  
est, quem hoc igne ardente torqueri con-  
spicis. Hi forsan non ardent, nisi quod  
immoderate te dilexerint. Hæc mala for-  
tasse non perferunt, nisi, quod nimis avi-  
di fuerint, bona tibi congerendi. Et eo-  
rum infelicitas, cuius vel causa, vel occa-  
sio est amor, quo in te ferebantur, te non  
movebit? forsan tantæ capax duritie?

II. Non decet, ut commiseratione con-  
tentus sis: spectaculum istud charitatem,  
zelumque tuum, illis succurrendi animare  
debet. Heu! animæ tam crudeliter ex-  
cruciatæ ad hoc te sollicitant per suas lacry-  
mas, per tenerum, quo te prosequeban-  
tur, amorem, quem jure a te expectant.  
Illæ ne minimum, quidem conatum ten-  
tare possunt, quo se eripiant e flammis,  
quibus alligatae sunt vinculis non-visibili-  
bus: tu vero eas eripere potes; illæ satis-  
facere non possunt justitiae divinæ, donec  
novissimum quadrantem reddiderint; tu  
vero pro ipsis satisfacerem minimis potes im-  
pensis; illæ nullam sperare gratiam possunt,  
quantumvis eam enixè flagarent; tu vero  
eam ipsis obtinere potes: unica oratio, unica  
voluntaria corporis afflictatio, vel impoten-  
tium animi motuum compressio, unica e-  
leemosyna, minimum opus bonum, quod

H 5

Deo

November. Deo pro ipsis offers, eas sublevare potest.  
Id tibi modico constat, & ipsas multum  
juvat. An id eis negabis? quanta inhu-  
manitas! dum ipsis opitulaberis, magnam  
apud Deum gratiam inibis; ipsas liberabis  
è dura illa necessitate, in quam ipsius ju-  
stitia, & sanctitas, repugnante quodam-  
modo ejus amore, eas conjecit. De pa-  
rente aliquo bene meremur, si ei virgas  
cripimus; quibus jamjam castigaturus est  
filium à se tenerrimè dilectum. Si anima-  
bus Purgatorij solatium attuleris, tibimet  
ipse beneficium præstabis; cùm enim felici-  
tatem suam tibi in acceptis referant, num  
tui obliscentur, cùm eâ gaudebunt? &  
quid nobis obtainere à Deo non poterunt,  
si eum pro nobis precabuntur?

III. Status, in quo versantur animæ i-  
gnibus addictæ piacularibus, non solum  
commiserationem excitare, charitatēmque  
tuam animare, sed & timorem incurere ti-  
bi debent. Id, quod illæ patiuntur, do-  
cere, te debet, quid sit noxa, quam nos le-  
vem dicimus, & quanto Deus odio in eam  
feratur; quandoquidem Deus, infinitè  
misericors ob leve hujusmodi delictum in  
animas tam sanctas, sponsas suas teneri-  
mè à se amatas, & à quibus tam perfecte  
gimatur, tam crudeliter animadvertis.

Ignis,

*Ignis, quo animæ tam piæ torquentur, do- November.  
cere te debet, quid sit peccatum veniale, à  
quo tam parùm abhorres, quodque tam  
facile admittis; atque inspirare tibi debet  
propositum, mala tam gravia pœnitentiâ  
prævertendi. Brevi & modica tui ipsius  
afflictione satisfacere potes pro diutur-  
nis, & horrendis Purgatorij supplicijs, &  
hoc non facis? per modicum quid redime-  
re nunc potes, quod olim caro tibi consta-  
bit; & id negligis? unicâ lachrymâ seriæ  
pœnitentiæ extinguere modò potes illas  
flamas, quas torrentes integri tunc à te  
fundendi non extinguent; & non ploras?  
Quanta cæcitas! Ah! quantopere olim de-  
plorabis hanc socordiam; & quām caro  
ea tibi constabit?*

*Examina te, ut videas, quomodo hactenus ob-  
vieris munus tuum erga animas piacularibus  
flammis detentas, & statue nulli labori parcere  
ad eas iuvandas.*

*Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro  
defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

*2. Machab. 12. 46.*

*Ignis ille purgatorius durior erit, quām  
quidquid in hoc sæculo pœnarum, aut vi-  
deri, aut cogitari, aut sentiri potest. Ang.*

## DIES